Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 453
Quelle:
Copyright:

Verſio eſt; an vero antiqua noſtra ad *Omnib. Leonicenum*, ad *Ambr. Traverſarium* ſeu *Camaldul.* vel ad alium quempiam pertineat, nemo eorum, quos quidem inſpexi, prodit.

II. *fol.* 15. *Incipit liber beati Athanaſij. de diuina et conſubſtantiali trinitate, et de inhumanatione* (περι σαρκωσεως) *uerbi contra impium Apolenarem.* Ita: *Pius quidem modus ſine labore eſt dilectiſſime taciturnitate colere uniuerſum* (το Παν) &c. En Librum, qui paſſim duorum *prior* audit, et in Editionibus, et, ut ajunt *Mauriani* in *Monito* T. *cit.* p. 921. in omnibus *mſſ.* praecedenti anteponitur, quod in Codice praeſenti ſecus accidit, parum tamen ad rem facit.

III. *fol.* 31. p. 2. *Incipit liber beati Athanaſij de apparitione dei Verbi in carne.* Initium eſt: *Qui uerſute diuinas ſcripturas intelligere uolunt, inhumana uerba paupertatis in filium dei transferre cupiunt* &c. Non eſt *Leoniceni* Verſio, ut patet conferenti Editionem *Vicentinam* 1482. f. Opuſculorum ab eo traductorum, ad cujus calcem qui legunt: *Athanaſii opus contra gentiles feliciter finit;* facile inducuntur, ut credant, aliud nihil in illa Editione contineri, cum tamen *Tractatus* VIII. diverſi in ea contineantur. Noſter ibi habetur *fol. l. 2.* et in *Maur. cit.* p. 871. Quod ſupra legiſti: *inhumana verba*, librarii lapſus eſt pro ἀνθρωπινα ῥηματα. Scribendum erat: *Qui — ii humana verba.*

IV. *fol.* 47. *Incipit eiusdem beati Athanaſij ad Adelfium Epiſcopum et Confeſſorem.* Omittitur: *Contra Arianos.* Initium: *Dilectiſſimo et amantiſſimo adelfio epiſcopo et confeſſori. athanaſius archiepiſcopus. Et qui in alexandria ſunt fratres in domino ſalutem.* Formulam hanc non habent *Mauriani.* T. *cit.* p. 911. *Inſpicientes litteras que a tua ueneratione ſcriptae ſunt. tuam quidem pietatem uere in chriſto amplexi ſumus* &c. Extrema ſunt: *Saluta diligentes dominum noſtrum ybeſum chriſtum.* Itaque et nobis deſunt illa: Ἐρῤῥωσθαι σε και μνημονευειν &c.

V. *fol.* 52. p. 2. *Incipit eiusdem ad Maximum philoſophum. Domino meo amantiſſimo filio maximo philoſopho. Athanaſius Salutem.* Titulus paullo aliter apud *Maur.* T. *cit.* p. 918. *Inſpicimus que a te modo ſcripta ſunt, tuam quidem beniuolentiam amplexus ſum* &c. Scribendum erat: *Inſpiciens*, ἐντυχων. Extrema corrupta: *in ſpiritu ſancto impii et gentem*, puto: *impie agentem*, δυσσεβουσαν. Abeſt igitur formula: Προσαγορευε παντας &c.

VI. *fol.* 55. *Incipit eiusdem de incarnatione dei uerbi feliciter.* Sic: *Confitemur filium dei, qui ante ſecula ſempiterne ex patre natus eſt.* &c. Comparet inter *Dubia* apud *Maur.* T. II. p. 1. inſignitus apud *Cyrillum Alexandr.* T. V. *Opp. Pariſ.* 1638. P. 2. p. 47. f. *Athanaſii* nomine, ſed fortaſſe *Eutychianorum*, quorum errori de una Chriſti natura favere videtur, Commentum, et *Cyrilli*